

et sordida, totius controversiæ speciem sibi vindicant.

CAPUT X. — *Quid utilitatis præ se ferat figurarum ejusmodi agnitio.*

Dignoscere autem has controversiarum figuras, cum ad multa alia convenit, tum vel in primis ad id, ut modum præfandi, id est principia edendi, congruentem qualitati materiam invenire possimus: non enim eadem species debet esse principii in themate εὐδοξία et ἀμφιδόξια et παραδόξια, sed sua cuique forma tribuenda. Jam primum in εὐδοξία genere materiæ Hermagoras negat esse præfandum: nam si benevolentiae, inquit, conciliandæ gratia præfari solemus in bonæ opinionis themate, quale illud est Scipionis; benigni sunt hi, apud quos locuturi sumus: nihil autem attinet parare, quod paratum est. Sed mihi longe aliter videtur, et pace tanti viri dixerim: neque enim est semper spectanda auctoritas, utique cum ratione vincatur. Censeo igitur nihil prohibere in εὐδοξία genere materiæ, quominus præfemur. Nihil enim, opinor, mali est, benignos iudices benigniores reddere præfando, ut cum offensos adversariis videmus, offensionem illam dicendo augere conamur. Denique aulædos et citharædos et cæteros hujusmodi artifices, quamquam non polliceantur orationem, videmus tamen præloqui ante actionem. Et omnino curta et sine capite oratio est, quæ sine principio ab ipsis rebus orditur. Utemur etiam principiis in bonæ opinionis controversiis; sed brevioribus et rectoribus paulo, et confidentibus et plenis dignitatibus, sine jactantia duntaxat, ne res pariat invidiam: ut est illud apud M. Tullium contra concionem Metelli, in qua exultare videtur: *Sic enim, ut opinor, insequar fugientem, quoniam congregari non licet cum resistente* Quod nunquam profecto tam magnifice dicere in exordio statim orsus fuisset, nisi et ipsius actoris esset honesta persona, et res de qua locuturus erat, non improba. Itemque alio loco, cum de conjuratorum animadversione loqueretur: *Video, Patres conscripti, in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos*: et deinceps. Quæ omnia hujusmodi sunt, ut actor et splendori suo et rebus his de quibus locuturus est, quasi honestissimis videatur merito confidere. Pleraque hujusmodi exordia apud Q. Gracchum, quanto nobilioris fuit spiritus, quæ dicentem profecto Merucium, aut aliquem ex Cannensi caterva nemo ferret. In ἀμφιδόξια genere materiæ moderatione quadam utendum erit, cum principiamus, ut et turpitudinem quæ subest (a), et dignitatem quæ est in re aut persona vel illustrando

(a) *Oblegendo minuamus.* Tale quiddam videtur deesse.

augeamus, vel ita varie utrumque misceamus, utriusque partis turpitudinem alterius honestas tegat, que tamen cum tanta jactatione, quanta in illo superiori genere materiæ, sed quasi cum quadam cuncti verecundia. Si in re turpitudine erit, quantum poterit, avocabimus iudicem ad personæ dignitatem. Si in persona, ad rei dignitatem quasi de periculo tutiorem locum refugiemus, sed summam leviter cedentes, ut despiciere potius suspicionem quam timere videamur. Laborabimus autem in eadem confusa utraque dignitate rei et personæ, plus fidei in honestate, quam metus in turpitudine habere videamur. Sed ut limpidius hoc genus principii apprehendatur, dabo exemplum quod habuit M. Tullium cum pro M. Scauro loqueretur. Erat enim controversia ἀμφιδόξια; quippe qui niteretur dignitate personæ M. Scauri, premeretur turpitudine criminis de personis repetundis. Utrumque in principio statim ita fudit orator, ut et turpitudinem criminis dignitatem personæ contegeret; neque tamen largiter nimirum exultanter, sed ita ut expromat nonnullam etiam metus suspicionem. *Maxime fuit operandum Scauro, iudices, ut nullo suscepto cujusdam odio, offensione ac malestia, et cætera.* In παραδόξια, id est in malæ opinionis themate, ubi et persona et dignitas pariter laborabit, longioribus principiis utendum, et purgandis suspicionibus opera tribuenda, et deinde loquendum, cum sententiis, tum verbis etiam profundam sitis, et querimonia quasi falsi illati criminis, et falsæ infamiæ compositæ adversum nos invidiam, etiam submissiore toto corpore conformata ad verecundiam, submisso vultu, oculis terram tentantibus; neque illa acriter, sed, si possumus, et timore simulato. In εὐδοξία, id est in humili genere materiæ, proxima sermoni debent esse principia; ne sententiis alte petitis, neque verbis ultra modum natis, neque structura graviore, sed quasi resoluta simplici. Vis autem omnium sententiarum, quam principiis adhibemus ea esse debet, ut rem a pietate revocet ad communitatem, et dicat omnem interesse illam rem vindicari: propterea quod quæque minora sunt, tanto crebrius et magis in multos cadere possint. Nec tam oportere spectari turpitudinem rerum et personarum, quam rationem æqui et iniqui, veri et falsi: eandem enim esse vim in minimis, quam in maximis. Talia principia sunt pleraque apud Demosthenem in iis libris inscribuntur Idiotici, et magis apud Lysiam, et a quosdam ex nostris veteribus. Certe Marcus Tullium cum pro Archia diceret, non aliter exorsus est.

## ADMONITIO

### DE SEQUENTI OPUSCULO.

Hoc opusculum una omnium eruditorum sententia abjudicatur Augustino. Apud Lucam Holstenium in indice Regularum, parte secunda, *Consensoria Monachorum* inscribitur, aptiore titulo. Attamen receptam dum in hac Appendice inscriptionem mutare visum non est, præsertim destitutis veterum librorum auctoritate quippe nullum hujus opusculi Ms. exemplar reperimus.

## REGULÆ CLERICIS

### TRADITÆ FRAGMENTUM.

Communi definitione decrevimus apud nos, quod nunquam postmodum ab ullo poterit infringi. Residentibus nobis in monasterio, in nomine Domini nostri Jesu Christi, omnibus placuit secundum apostolicam traditionem, unum sentire in Domino et communiter possidere. Sicut scriptum est: *Unum sentite in Domino* (Sap. 1, 1). Et nemo quidem proprium sibi vindicet quidquam, sed fiat sicut scriptum est in Actibus Apostolorum, *Habentes omnia communia, nemo quidquam esse suum dicebat* (Act. 11, 44, et 17, 32). Quod a nobis scriptum est. In Domino ergo jure

observationis nos teneamus, et in eo usque in fine permaneamus: quoniam in lege scriptum est, *perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (Matth. 22). Si quis autem venire desiderat ad congregationem fratrum, qui in unum esse videntur, non igno- Evangelii dictum, quod dixit: *Vendat omnia sua et eroget egenis et pauperibus* (Id. 19, 21). Et iterum *Abneget semetipsum, sibi tollat et crucem suam, et sequatur me* (Luc. 14, 23). Et ne tractet in corde de victu aut vestitu, et cæteris quæ necessaria sunt corpori, ipso Domino præmonente in Evangelio

dicente : *Nolite cogitare dicentes, quid editis, aut quid vestiemini : hoc enim Gentes cogitant. Scit Pater vester quia horum omnium indigetis : quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus ; et hæc omnia apponentur vobis.* (Matth. vi, 31-33). Verumtamen antequam statuat esse in monasterio, probet propositum fratrum atque exemplum, et ipse probetur in omni conversatione ab illo qui Prior est, et cæteris consentientibus, propter illud quod Scriptura docet et admonet, dicens : *Amicum noli cito comprobare. Sed si contigerit ut aliquis ex qualibet causa necessitatis a monasterio fuerit abstractus, ne vel mente concipiat secum aliquid ferre de iis omnibus quæ in monasterio fuerunt, sive etiam quæ secum aliquando attulerat, sive ea quæ cum fratribus acquisierat : quia certum est, fratres nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere sine superioris licentia. Quod si propinquus, vel amicus, vel quilibet fratrum, aliquid offerre voluerit ; primo quidem Priori insinuetur, et sic suscipiatur, si ipse mandaverit : de quo tamen nihil fiat aliud, nisi quod Priori placuerit, vel permiserit ; quoniam valde verendum est, ne sibi eveniat quod scriptum est : *Vir mutabilis in lingua incidit in mala* (Prov. xiii, 3). Et iterum, ut nullum omnino de fratribus secum provocet, ne magis destructor quam ædificator monasterii videatur : propter id quod scriptum est : *Qui non est mecum, contra me est ; et qui mecum non congregat, dispergit* (Matth. xii, 30). Et quicumque provocatus ab aliquo, de monasterio voluerit abscedere, aut redarguat provocantem, aut ante indicet Præposito<sup>1</sup>, cui utique de iis, quæ in communi decrevimus nihil esse censeo subtrahendum, quia scriptum est : *Pacifici sint tibi multi, sed unus ex mille sit tibi consiliarius* (Eccli. vi, 6). Igitur hæc quæ scripta sunt, cum summa diligentia observanda sunt a Præposito usque ad*

<sup>1</sup> Holstenius, *Abbati*.

omnes fratres. Et si quis ab aliquo doctrinam audierit, præter quam in monasterio consecutus est ab eo cui se credidit ; hanc autem suscipiat, et eam non subtrahat doctori : quia scriptum est : *Omne quod manifestatur, lux est* (Ephes. v, 13). Si enim bona fuerit, collaudanda est ; si vero prava, reprobanda. De iis autem fratribus qui in unitate consistunt, si quis subito adversus Præpositum altercatus fuerit ; non solum semel, sed secundo et tertio, ut Evangelium docet, licet exorare (Matth. xviii, 15-17). Si autem noluerit se emendare, ille cui injuriam irrogatus est, post primam vel secundam correctionem, qui non revocaverit contumacem, denuntiet et illud Præposito, ne per taciturnitatem, et ille, et frater suus periclitentur, sicut Salomon ait, *Qui occultat inimicitiam, instruit dolum*. Si vero, ut fieri solet, incursio repentina supervenerit aut hostilitas, ut impossibile sit fratribus in unum fugam petere propter insecutionem inimicorum, et postmodum Deo favente evaserint, et potuerint pervenire ubi Præpositum esse cognoverint ; veluti filii ad patrem, festinare debebunt. Nec ullo modo poterunt separari, quos divina charitas sociavit, quia scriptum est, *Perfecta dilectio foras mittit timorem* (I Joan. iv, 18). Si quis autem, quod superius diximus, causa necessitatis detinet id, quod a monasterio secum portavit ; necesse habebit, ubi Præpositus suus est, illud perferre : quia non poterit sibi retinere, quod per pactum ad omnes pertinet, et Deo utique est consecratum. Sed si cogitaverit de his aliquid retinere, contra dictum Apostoli agere videtur, qui ait, *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis vos* (Rom. xiii, 8). Omnia ergo quæ in isto libro continentur, omnes fratres observent ; atque subscribant, qui boni esse desiderant. Verum propter illos sunt cauta, id est scripta, qui in omnibus stabiles esse noscuntur.

## ADMONITIO

### DE SEQUENTI OPUSCULO.

Contulimus istud opusculum ad exemplar Corbeïense ante mille annos, uti videtur, exaratum, quo in exemplari ab eo loco, Psalmi III, LXII, etc. (ubi Lucas Holstenius in codice Regularum, parte secunda cum editis Amerb. Eras. et Lov. satis concordat), variat hunc in modum : *Psalmi tres, sexagesimus secundus, quintus, et octogesimus nonus.* (Lacuna hic est exigua. deleta, uti videtur, verbo sex circiter litterarum, et mox sequitur :) *Ad tertiam psalmus ad respondendum dicatur : deinde antiphonæ duæ, lectio, et completorium. Simili modo sexta et nona. Ad lucernarium autem psalmus responsorius unus, antiphonæ quatuor, item psalmus unus responsorius, lectio, et completorium. Et tempore opportuno post lucernarium, omnibus sedentibus legantur lectiones* (Hic erasum est unum verbum, et proxime sequitur :) *Post hæc autem consuetudinarii psalmi ante somnium dicantur, nocte autem orationes, mense novembri, etc., ubi quod semel et iterum dicitur, et completorium, videtur sonare idem cum isthac formula a Patre nostro Benedicto Matutinorum officium ordiuante, his usurpata, et completum est, id est peractum sic erit officium, vel, addetur finalis oratio, qualis ea scilicet quæ in antiquis missalibus *Ad complendum* vocitatur. Porro in eodem codice opusculum absque titulo sic incipit : *Ante omnia, etc.* Sed ad hæc ultima verba, *de vestra salute. Amen,* continenter et in eodemmet versu subjicitur Regula S. Augustini viris aptata, uti jam observavimus, cum hisce verbis in fine : *Explicit Regula sancti Augustini episcopi.**

## REGULA SECUNDA.

1. Ante omnia, fratres charissimi, diligatur Deus, deinde et proximus, quia ista præcepta principaliter nobis sunt data. Qualiter autem nos oportet orare vel psallere, describimus : id est, in matutinis dicantur Psalmi III, LXII, VI, et LXXXVIII, cum debitis antiphonis, versibus et responsoriis. Ad primam et tertiam dicantur sui psalmi, antiphonæ duæ, lectiones duæ. Simili modo ad sextam et nonam dicantur sui psalmi, cum debitis responsoriis et antiphonis. Hoc idem in vesperis et completoriis servetur. Ad lucernarium autem psalmus, responsorium unum, antiphonæ tres, lectiones tres. Et tempore opportuno post lucernarium, omnibus sedentibus legantur lectiones. Nocturnæ autem orationes mense novembri, decembri, januuario et februario, antiphonæ duodecim, psalmi sex,

PATROL. XXXII.

lectiones tres. Martio, aprili, septembri, octobri, antiphonæ decem, psalmi quinque, lectiones tres. Maio, junio, julio, et augusto, antiphonæ octo, psalmi quatuor, lectiones duæ.

2. Operentur a mane usque ad sextam, et a sexta usque ad nonam vacent lectioni, et ad nonam redant codices. Et postquam refecerint, sive in horto, sive ubicumque necesse fuerit, faciant opus usque ad horam lucernarii. Nemo sibi aliquid vindicet proprium, sive in vestimento, sive in quacumque re. Apostolicam enim vitam optamus vivere (Act. xi, 43). Nemo cum murmure aliquid faciat, ut non simili iudicio murmuratorum pereat : fideliter obediant : patrem suum honorent post Deum : Præposito suo deferant sicut decet sanctos : sedentes ad mensam

(*Quarante-six.*)

taceant audientes lectionem : si autem aliquid opus fuerit, Præpositus eorum sit sollicitus. Sabbato et Dominica, sicut consuetudo est<sup>1</sup>, qui volunt vinum accipiant. Si opus fuerit ad aliquam necessitatem monasterii mitti, duo eant. Nemo extra monasterium sine præcepto manducet neque bibat; non enim hoc ad disciplinam pertinet monasterii. Si opera monasterii mittantur fratres vendere, sollicite observent ne quid faciant contra præceptum, scientes quia Deum exacerbant in servis ipsius: sive aliquid emant ad necessitatem monasterii, sollicite et fideliter ut servi Dei agant. Otiosum verbum apud eos non sit. A mane

<sup>1</sup> Ms. Corbeiensis, *constitutum est.*

ad opera sua sedeant: post orationem tertie eant similiter ad opera sua. Non stantes fabulas contexant, nisi forte aliquid sit pro utilitate animæ: sed sedentes ad opera taceant, nisi forte necessitas operis exegerit ut loquatur quis. Si quis autem non omni virtute, adjuvante misericordia Dei, hæc conatus fuerit implere, sed contumaci animo despexerit; semel atque iterum commonitus, si non emendaverit, sciat se subjacere disciplinæ monasterii sicut oportet: si autem talis fuerit ætas ipsius, etiam vapulet. Hæc autem in nomine Christi fideliter et pie observantes, et vos proficietis, et nobis non parva erit lætitia de vestra salute. Amen. Hæc sunt quæ ut observetis præcipimus in monasterio constituti. Primo etc.

### ADMONITIO DE SEQUENTI LIBRO.

Augustini non esse hunc librum cum ex aliis multis argumentis, tum ex eo liquet, quod B. Benedicti regula in 14, et 19 capite laudatur. Esse B. Aelredi Rhievallensis in Anglia abbatis, qui nimirum medio sæculo duodecimo scribebat, certo se scire ait Lucas Holstenius in codice Regularum, parte secunda. Et revera in indice operum S. Aelredi, centuria 2 Scriptorum Britannicæ, n. 99, recensetur sub hoc titulo: *De Institutione inclusarum lib. 1. Jam pluribus annis exigis a me.* Habes ejusdemmet libri partem circiter tertiam inter opera S. Anselmi nomine vulgata, scilicet Meditationes xv, xvi, et xvii.

## DE VITA EREMITICA,

### AD SOROREM LIBER.

PROLOGUS. — Jam pluribus annis exigis a me, soror, ut secundum modum vivendi quem arripuisti pro Christo, certam tibi formulam tradam, ad quam et mores tuos dirigere, et vitam religionis, et vitæ religiosæ possis exercitia ordinare. Utinam a sapientiore id peteres et impetrares, qui non conjectura qualibet, sed experientia didicisset, quod alios doceret. Ego certe qui carne et spiritu tibi frater sum, quoniam negare non possum, quidquid injungis; faciam quæ hortaris, et ex diversis Patrum institutis aliqua quæ tibi videntur necessaria excerpens, ad componendum exterioris hominis statum certam tibi regulam tradere curabo, pro loco et tempore quædam adjiciens; et spiritualia corporalibus, ubi utile visum fuerit, interserens. CAPUT PRIMUM. — *Ut instituta est eremitica vita.*

Primum oportet te scire, qua causa, quave ratione vita hæc ab antiquis vel instituta sit vel usurpata. Sunt quidam quibus inter multos vivere perniciosum est. Sunt et alii quibus etsi perniciosum non est, tamen dispendiosum est. Sunt et nonnulli quibus et nihil horum timendum est; sed potius habitare magis æstimant fructuosum. Itaque antiqui vel ut vitarent periculum, vel ne paterentur dispendium, vel ut liberius ad Christi anhelarent et suspirarent amplexum, singulariter vivere elegerunt. Hinc est, quod plures in eremo soli sedebant vitam manuum suarum opere sustentantes. Illi vero qui nec hoc securum sibi inter solitudinis libertatem, et vagandi potestatem arbitrabantur, includi potius, et intra cellulam obstruso exitu contineri tutius æstimabant.

CAPUT II. — *Reclusio corporis solius nihil prodest.*

Quid tibi visum fuit, cum te huic institutioni voveres? Nam multi rationem hujus ordinis vel ignorantes, vel non curantes, membra tantum intra parietes cohibere satis putant esse: cum mens non solum per vagationem dissolvatur, curis et sollicitudinibus dissipetur, immundis etiam et illicitis desideriis agitur; sed etiam lingua tota die per vicos et civitates, per foros et nundinas otiose discurrant.

CAPUT III. — *Reclusarum cum externis mulieribus confabulationes.*

Vix aliquam inclusarum hujus temporis solam invenies, ante cujus fenestram non anus garrula vel nugigerula mulier sedeat, quæ eam fabulis occupet, rumoribus aut detractionibus pascat, illius vel illius *monachi vel clerici* vel alterius cujuslibet ordinis viri *m, vultum moresque* describat. Illecebrosa

quoque interserat, puellarum lasciviam, viduarum, quibus licet quidquid libet, libertatem, conjugum in viris fallendis explendisque voluptatibus astutiam depingat. Os interea in risu cachinnosque dissolvitur, et venenum cum suavitate bibitum per viscera membræ diffunditur.

CAPUT IV. — *Ex confabulatione cum externis mulieribus quæ perniciosa.*

Sic cum discedere ab invicem hora compulerit, inclusa voluptatibus, anus cibariis onerata recedet. Reddita quieti misera eas quas auditus induxerat, in corde versat imagines: et ignem præmissa confabulatione conceptum vehementius sua cogitatione succendit; quasi ebrius in psalmo titubat, in lectione cadit, fluctat in oratione. Refusa mundi luce citantur mulierculæ addentes nova veteribus, non cessant, donec captivam liberius dæmonibus illudendam exponant. Nam manifestior sermo non jam de accendenda, sed potius de satianda voluptate procedens: ubi et quando et per quem possit explere quod cogitat, in commune exponunt. Cella vertitur in prostibulum, et delicato qualibet arte foramine, aut illa egreditur, aut adulter ingreditur. Infelicitas hæc, ut sæpe probatur, pluribus causa viris in hoc nostro sæculo communis est.

CAPUT V. — *Reclusarum quarundam avaritia.*

Sunt aliæ quæ, licet turpia declinent, loquaces, tamen loquacibus assidue sociantur, nimium curiositati linguam et laures tota die otio rumoribusque dedentes. Aliæ non multum ista curantes (quod fere vitium per omnes hujus temporis serpit inclusas), pecuniæ congregandæ vel multiplicandis pecoribus inhiant: tantaque cum hac sollicitudine in his extenduntur, ut eas matres vel dominas familiarum existimes, non anachoretas. Quærunt aliquibus pascua, pastores, qui procurent, qui custodiant greges; fructus vel pretium vel pondus, vel numerum a custodibus expetunt. Sequitur emptio et venditio, ut nummas nuquamo cumulum exigat, et avaritiæ sitim accendat. Fallit enim tales spiritus nequam, pro impertiendis eleemosymis vel orphanis alendis, pro advenientium parentum vel amicorum charitate, et religiosarum feminarum susceptione, hoc utile esse ac necessarium suadentes. Non est hoc tuum, ad quam magis pertinet, ut pauper cum pauperibus stipem accipias, quam relictis omnibus tuis pro Christo aliena quærere; ut eroges. Magnæ infidelitatis signum est, si